



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm LI. Nuper.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

1 **NOT. I.** Compromissum, quod nomine Ecclesiæ, aut dignitatis factum est, transit in successorem, ut eo stare teneatur, sed requiritur, ut superioris consensus, seu autoritas interuenerit. *juxta c. 2. c. Veniens 7. de transact. & docent hic Abbas & Felinus n. 1.* at verò compromissum actiue factum v. g. in Abbatem S. Nicolai, illo mortuo non videtur transire ad successorem, cum censetur electa industria persona. *Argum. c. ult. de arbitris. & tradit hic Imola n. 7. Felinus n. 1. & videri potest Innoc. c. ult. de offic. delegat.*

2 **Not. II.** Si arbiter in partes remotas discesserit, nec breui tempore rediturus sit, tum soluitur compromissum, sicuti soluitur per mortem arbitri *c. ult. de offic. Delegati. & docet gl. hic communiter recepta, verb. Solo. & verb. Arbitrorum. colligitur ex l. Si longius. ff. de judic. atque hoc casu recurri potest ad iudicem ordinarium, vti litem definiat, sicut colligitur ex l. penult. C. de arb. & tradit hic Ioan. Andr. n. 6. Abbas & Felin. n. 1.*

3 **Not. III.** Acta coram arbitris, si respiciant factum & merita causæ, fidem faciunt coram iudice ordinario, aut delegato. verumtamen quod attinet ad depositiones testium, in optione aduersarii est, vtrum eas admittere malit, aut si testes adhuc viuant, iterum coram iudice produci. ita hic & clarissimè in l. ult. de testibus. & in cit. l. penult. quamobrem etiam confessio coram arbitris, facta tanquam judicialis, valebit, & allegari poterit coram iudice, vti bene hic docet *Imola n. 9. Felinus n. 11. & satis significatur in cit. l. penult.* porro quod acta litis ordinaria repeti debeant coram iudice, communiter testantur *DD. hic.*

CAPITVLVM LI.

Nuper.

PARAPHRASIS.

Adamus Presbyter Ordinem Minorum ingressus probationis causâ, iterum exiuit, sed Custos Monasterii eum repetere volens, testes quosdam Ordinis sui produxit,

qui non præmisso iuramento, deposuerunt Presbyterum professionem edidisse, quamuis Presbyter se opposuerit, ne admitterentur non jurati, hoc intellecto respondit Honorius III. nullius testimonio, quantumcunque Religiosus sit, in alterius præiudicium esse credendum, nisi deposuerit juratus.

Aduerte, quod custos in hoc casu egerit ex mandato Prælati sui nomine Monasterii, ideoque producere potuerit testes ex Conuentu. *juxta c. Insuper. 6. c. Cum nuntius. 12. hoc tit.*

SYMMARIVM.

1. Nouitius habet liberam ex Monasterio discedendi facultatem; per professionem autem personaliter obligatur Religioni, ita ut vindicari possit adiectâ causâ.
2. Testi in iudicium producto, nisi Clericus vel Religiosus sit, non creditur, nisi iurato, posito quod partes non remittant iuramentum.

NOT. I. Nouitius habet liberam ex Monasterio discedendi facultatem. *c. ult. causa 20. q. 3. c. 1. & ult. de regul. per professionem autem seu vota, Religiosus personaliter obligatur Religioni, ita ut vindicari possit adiectâ causâ, quemadmodum & pater filium in potestate suâ constitutum, conjux conjugem, dominus colonum originarium repetit ac reducit. juxta l. 1. junctâ gl. verb. Vindicare posse. ff. de rei vindic. idè autem dixi, tales personas vindicari posse adiectâ causâ, eâque probatâ; cum enim alioquin liber homo vindicari non possit, ut habetur in cit. l. 1. & l. Cum heredes 23. §. Item quero. ff. de acquir. possess. idè obligatio personalis, quæ non præsumitur, allegari ac probari debet, videlicet in proposito casu Custos, tanquam Procurator Monasterii, per testes legitime probare debuit professionem editam fuisse. videri potest *Abbas & Felinus hic n. 2.**

Not. II. Testi in iudicium producto tametsi Clericus aut Religiosus sit, non creditur, nisi sit iuratus. excipe nisi partes remittant iuramentum, vti dictum est in *c. Tuis. 39. hoc tit.*